

DISSERTATIO JURIDICO-CANONICA

Cum

Annexis tām practicis & politicis; quām
Theoricis quæstionibus,

D E

Sponsalibus & Matrimonio.

*Quam
Sanctissimā Poli Tride favente.*

AUTHORITATE ET CONSENSU,

Nobilium, Strenuorum, Magnificorum,
Clarissimorum, ac Consultissimorum
VIRORUM, &c.

MAGNIFICI DOMINI RECTORIS, &c.

SPECTABILIS DOMINI DECANI, &c.

Dominorum Seniorum Inclitæ Facultatis Juridicæ, &c. Sac. Cæs.
Majest. Consiliarior. &c. Adeoq; totius Amplissimi Jurisconsul-
torum Collegij in Antiquissima & Celeberrima Univer-
sitate Viennensi.

P R A E S I D E

Nobili, Clarissimo, ac Consultissimo Viro, Domino

FRIDERICO Grüner/ I. V. Doctore, nec non in prædicta Universit: Cod: Profess: Ord: &c.

*Domino Fautore & Promotore suo colendissimo publicè
discutiendam proponit.*

THOMAS ZWICK, Krumbacens. Suevus JU St.

*Die Mensis Februarij horâ pomeridianâ, in Auditorio DD.
Iuris-Consultorum.*

VIENNÆ AUSTRIÆ. Typis MATTHÆI RICII.



**REVERENDISSIMIS, AMPLISSI-
MIS, ADM: REVERENDIS, PRÆNOBILIBUS,
STRENUIS, MAGNIFICIS, CLARISSIMIS, AC
CONSULTISSIMIS DOMINIS,**

**DN. STEPHANO
ZWIRSCHLAG,**

SS. Th. Doct. S. C. M. Inclytorumq; Inferioris Austriae
Statuum Rationum Consiliario; Decano Kiernbergensi
Cathedralis Ecclesiae Vienn. Præposito,
OFFICIALI ET VICARIO GENERALI;
nec non Antiquissimæ & Celeberrimæ Universit. ibid.
Cancellario, &c.

**DN. MARCO ANTONIO
CACCIA**, SS. Theol. Doctori, Prothonotario Apo-
stolico; Comiti Palatino; Cathedralium Ecclesiarum Olomou-
censis Canonico, Vienn. Decano, &c.

DN. GEORGIO TASCH,
SS. Theol. Doctori, Cathedralis Ecclesiae Viennensis
Canonico, Parochio in Holoprunn, &c.

DN. FRIDERICO GRVNTER,
J. U. Doctori, Aulæ & Judiciorum Advocato; Eccle-
siastici Fisci Procuratori; nec non Codicis Professori
Ordinario, &c.

**DN. FERDINANDO IVSTO
HAMPRUNER**, J. U. Doctori, Aulæ & Judicio-
rum Advocato, &c.

DN. GEORGIO WOHINIZ,
J. U. Doctori, Aulæ & Judiciorum Advocato &c.
ASSESSORIBUS.

Adeoque Inclito Venerabili Consistorio
Episcopatus Viennensis.

Dominis meis Gratiissimis.

Nolite temeritatem judicare, Reverendissimi, Amplissimi, Adm: Reverendi, Prænobiles, Strenui, Magnifici, Clarissimi, ac Consultissimi Domini, si forte in admirationem rapiamini, quo ausu ad Amplitudines Vestras hæc dirigere attetem. Audaciæ meæ ansam præbuit Benevolentia in me Vesta integro jamjam triennio uberior comperta: quâ nisus, tantum abest, ut ad Vos hisce meis intrepide tendere pertimuerim, ut debitæ potius observantie erga Vos m'æ magnitudinem, præsentiumq; subiectum id postulare existimaverim.

Nuptialia pepigi fœdera, pacta concepi, conceptaq; in lucem edere volui. Sed cum ingenij sterilitatem contemplatur animus, non immerito in lucem hisce prodire fluctuaret, ni Tutamine V. ro palmam sibi polliceretur. In Pelagum Justinianum me dimisi: ne scopolis allisa scientia carina rumpatur, Neptunum inclamo. Ut ad coronam nuptialis certaminis mansuetus me deducat Zephyrus, placari, necesse est, Neptunum: placare potest Hymenæus. Susceptum laborem nuptiale feliciter absoluturus decerpitos ex triennali studio fructus Vobis Hymenæis consecro. Nec mirum: cum enim cura & sollicitudines Vestræ quotidiane in hoc ipso versentur negotio, ut controversias nuptiales ex æquitatis tramite judicando dirimatis: non est, quod hæream, quin huic oblationi meæ benigno nutu & gratijs à fronte delaturi sitis. Quod si superum vota indulserint, Subjectioni æternæ nomen adscribam. Valete, Deo, Hominiq; virvite relabentibus pro voto vestro lustris.

Amplitudinum Vestrarum

Subiectissimus & devotissimus Cliens

THOMAS ZVICK.

I. N. D. J. C.

UM sponsalia nuptiarum spes & introductio sint. 1. si puellæ 6 ff. de sponsal. adeoque nuptias necessariò præcedere debeant. 1. quæsum. 9. ff. eod. 1. cùm hic status §. pen. ff. de donat. int. vir. & ux. Harppr. ad rubr. de nupt. n. 2. Exordio à sponsalibus sumpto ad ipsas nuptias hoc in tractatu nostro descendere convenientissimum duximus. In quibus non tām veterum sacrorum canonum inhærebitus vestigiis: quām novissimi Tridentini juris decretis, præceosque observationibus nos conformabimus.

B

THE.

THESIS PRIMA.

SPONSALIA (*a*) sunt mentio (*b*) & re promissio (*c*) futurarum nuptiarum (*d*)

(*a*) dicta à spondendo l. 2. ff. eod. quod est sponte promittere. Sanch. lib. 1. disp. 1. in princ. quia moris fuit veteribus stipulari & spondere sibi uxores futuras. *d.* l. quod & passim scribunt Autores: undè & Sponsi Sponsæq; appellatio nata est. l. 3. ff. eod. (*b*) quæ procedit ab eo, qui primum de hoc contractu sermonem profert (*c*) quæ est promissio ex altera parte, quæ is, qui mentione provocatur, futuras nuptias promittit (*d*) l. 1. ff. eod. gloss. in c. un. verb. idem. de spons. & matrim. in 6. c. Nostrates. 30. q. 5. Et hæc definitio communiter est omnium. Host. in sum. de sponsal. n. 1. Sanch. lib. 1. d. 1. n. 7. Tholos. in Syntag. jur. univers. lib. 8. c. 2. n. 2. Treutl. vol. 2. d. 6. Thes. 1. Schneidvv. Harppr. Corvin. Bebion. Mynsing. in princ. inst. de nupt. Moz. eod. col. 1. n. 6. Specul. n. 1. eod.

Quæstio 1.

UTRUM RE PROMISSIO IN SPONSALIBUS ADEO NECESSARIA
SIT, UT PARTI PROMITTENTI V. G. FIDEM TIBI DO DE FU
TURO CONJUGIO, VEL, ME TE SUMPTURUM IN MEUM CONJUGI
UM, PARS ALTERA SIMPLICITER RESPONDERE TENEATUR: FI
DEM TIBI QUOG; DO; VEL ACCIPIAM TE IN CONJUGIUM MEUM; AUT VER
BA EJUSMODI PLACET, ACCEPTO, SUFFICIENT?

Resp. ejusmodi verba in specie facti non sufficere, sed simpliciter re promitti debere: quia in dubio obligatio inducenda non est. Ita Sanch. lib. 1. d. 5. n. 5. Et tacens consentire censetur in sui favorem, non in sui præjudicium. c. qui tacet. de Reg. Jur. in 6.

Quæstio 2.

UTRUM FICTE & JOCO PROMITTENS TENEATUR FIDEM VE
RE PROMITTENTI SERVARE?

Nega-

Negativam tuemur sententiam secundum text. & gloss. in c. tua
x. b. t. ad constituenda sponsalia enim utriusque requiritur consen-
sus. c. sufficiat. 27. q. 2. cum autem hic ficta promissio non sit vera
promissio, quia deficit animus promittendi: sed tantum promissio-
nis fictio; hinc sponsalia nulla esse possunt. *Sanch. lib. 1. d. 9. n. 3.*

Quæstio 3.

VTrum Sponsalia sint eo in casu, cum Sponsor pro-
mittit: Nullam aliam in conjugium meum asso-
ciabo, nisi te? controversum valde est.

Sed pro negativa faciunt haec rationes: nam nulla hic interve-
niunt verba consensum mutuum (qui necessarius est in sponsalibus,
sicut in omnibus aliis contractibus ulro citroque obligatoriis) ex-
perimentia: possibile enim est, ut promittens nunquam cum illa vel
alia contrahere cogitet. *Specul. n. 5. eod.* Hinc subintelligitur condi-
tio, si scil. matrimonium unquam inire voluerit: conditio autem
consensum determinatum non importat; ergo Sponsalia dici non
possunt. *Sanch. lib. 1. d. 19. n. 4.* Quod si verò matrimonium cele-
brare intentet, ad haec sponsalia eum teneri dicimus. *Sanch. cit. diff.*
n. 8. Huic proxima est illa quæstio gravis.

Quæstio 4.

UTrum promittens altera parte acceptante, sed
non repromittente, obligetur ad Matrimonium
cum eadem ex post facto consentiente?

Negativam partem, cum limitatione, si re promittere distule-
rit, amplectimur. Ad Sponsaliorum enim contractum perfici-
endum consensus non minus utriusque, ac in matrimonio, necessariò
requiritur. c. 1. & c. cum locum. extr. eod. acceptans autem hic non
præsumitur adhibere consensum, cum re promittere differt: sed po-
tius contemnere; atque ita qui promisit, manebit liber ex tacita re-
missione alterius. *Sanch. lib. 1. d. 5. n. 12.*

Quæstio 5.

UTrum tanta Sponsaliorum sit vis, ut alterutra pars
fornicando adulterij scelere se contaminet?

Similiter negativam tenemus cum Treutl. vol. 2. d. 6. thes. 1. lit. c.
Cùm enim adulterium alieni thori sit violatio. c. lex illa. 36. q. 1. Spon-
sis autem thorus non concedatur; hinc adulterium dici non potest.
Sanch. lib. 1 d. 2. n. 2. Et alias adulterium non nisi in nuptam com-
mitti evidenter constat ex l. inter. 6. §. 1. & l. stuprum. ff. ad leg. Jul. de
adult. adde gloss. in c. quidam 27. q. 2.

THEISIS SECUNDÆ.

Communis divisio Sponsaliorum est,
quòd alia sint de præsenti (a) alia de fu-
turo (b.) Quorum utraq; species subdivi-
sionem recipit; ita, ut vel pure (c) vel in di-
em (d) vel sub conditione (e) Sponsalia legi-
timè ineantur.

(a) quæ & ipsum Matrimonium appellantur c. pen. X. eod.
Tholos. in Syntagm. jur. univers. lib. 8. c. 2. n. 6. Harp. in princ. n.
5. inst. de nupt. (b) quæ futuri matrimonij spes dicuntur l. 6. ff.
eod. Harp. §. 1. n. 14. inst. de patr. potest. utroq; dicente: Ego te
accipiam in meam, & Egote accipiam in meum. c. 31. eod.
(c) cùm quis simpliciter & absolute promittit: quo casu statim
nascitur obligatio efficax. Moz. de nupt. col. 1. n. 12. (d) quando in-
tra certum tempus contrahitur, ut Calend. Mart. Moz. d. loc.
Harp. in princ. n. 22. inst. de nupt. (e) si in aliquem casum vel
eventum, ut si Cæsar hostem vicerit, promittitur. tot. tit. extr.
condit. appos. dummodo conditiones honestæ sint: in honestæ enim
nullum bic sibi vendicant locum. c. fin. x. de cond. appos. Hujus
occasione oritur

Quæstio 6.

Utrum Conditiones turpes indifferenter annul-
lent contractum Sponsaliorum?

Distinctionem adhibentes asserimus, per conditiones turpes,
quæ sunt contra naturam & substantiam matrimonij, ut: contra-
ham

ham tecum, si pro quæstu adulterandam te tradideris, vel abortum procuraveris &c. omnino annihilari contractum sponsaliorum & matrimonii; & vana ac sine effectu esse hujusmodi sponsalia & matrimonium. c. fin. extr. de cond. appos. Harp. in princ. n. 26. inst. de nupt. Schneidw. n. 35. ibid. Moz. de matrim. col. 2. n. 10. Si verò conditiones hæc quantumvis turpes sint, non adversentur bono conjugij, ut contraham tecum, si furtum feceris &c. non reddunt vitiosum contractum, sed favore matrimonii pro non adjectis habentur, ita ut sponsalia teneant, ac si purè contractum esset. c. fin. extr. cit. sit. Hic gravis se offert quæstio.

Quæstio 7.

UTrum Sponsalia sub hac conditione, si Virginem, ut invenero, contrahi possint?

Distinctione pariter hoc enodandum est, ut si quidem ad actum illicitum hæc conditio referatur, v.g. si virginem te invenero per congressum, tanquam turpis rejiciatur, & concubitu secuto matrimonium præsumatur. Si verò ad actum licitum referatur, ut si per aspectum matronarum honestarum Virgo reperiari, suspendat contractum, tanquam conditio honesta, sicut aliæ quæque hujusmodi conditiones. Sanch. lib. 5. d. 16. n. 7. Moz. tract. de matrim. col. 2. n. 13. Similiter gravis hæc quæstio est.

Quæstio 8.

UTrum Sponsalia vel matrimonium inductum cœlatur, si juvenis dicat puellæ: Si mihi copiam tui feceris, matrimonium tecum contraham, vel centum tibi dabo?

Negativè. *Resp.* ita, ut nec matrimonium, nec sponsalia hoc in casu præsumantur. Ratio conclusionis est; quemadmodum enim in omnibus obligationibus alternativis debitoris est electio, & sufficit alterutrum adimpleri. c. in alternativis de R. J. in 6. Ita etiam in hoc contractu alternativo procedit. Sanch. lib. 5. d. 16. n. 9. in fin.

Quæstio 9.

An conditiones impossibiles faciant contractum, Sponsaliorum conditionalem?

C

Negan-

Negantium quoque tuemur opinionem autoritate c. fin. x. de cond. appos. Brunell. de sponsal. conclus. 33. n. 4. Harp. in pr. n. 27. inst. de nupt. Host. in sum. §. qua conditio d. t. de cond. appos. Et ratio hujus fundatur in favore matrimonij, qui ejusmodi conditiones pro non adjectis reputat: consequenter pura sunt sponsalia. d c. fin. in fin. de cond. appos. Hic iterum anceps se offert quæstio.

Quæstio 10.

AN conditio necessariò extitura conditionalia redat Sponsalia?

Et hic negantibus subscribimus cum Host. in sum. de cond. appos. §. qua conditio. v. g. contraham tecum, si cras sol orietur: haec conditio sponsalia non suspendit; sed perinde est, ac si apposita non esset. Sanch. lib. 5. d. 2. n. 2. & probatur conclusio nostra ex l. si pupillus 9. §. qui sub conditione ff. de novat. Ratio hujus est: quia cum jam conditio illa futura sit praesens, & determinata in sua causa naturali, ita, ut impossibile sit oppositum, censetur jam impleta. sic Sanch. cum mult. loc. cit.

THESIS TERTIA.

SPonsalia alia tacite (a) contrahuntur; alia expressè (b) alia publicè & solenniter (c) alia clandestinè. (d.)

(a) quia non tantum verbis expressis, sed etiam nutu, alijs q. signis contrahiri possunt. Nicol. Moz. de sponsal. & matrim. column. de substantialibus. sponsalior. n. 4. cum hic eadem sit virtus taciti, qua est expressi. vulg. c. is. quitacet. 43. de R. f. in 6. (b) ut cum persona legitima per verba consensum expressum importantia contrahit. c. sinter. 31. X. eod. Host. in summ. eod. §. qualiter. (c) cum coram testibus, amicis, propinquis, Parocho celebrantur Sponsalia. c. aliter. 30. q. 5. (d) qua sine praesentia testium, amicorum &c. contrahuntur. Sanch. lib. 3. d. 1. n. 2. Hic magna inter DD. est controversia.

Quæst. 11.

Quæstio 11.

VTrum annuli traditio & acceptatio sine mentione Sponsaliorum vel matrimonij, Sponsalia vel matrimonium inducat?

Distinctionis fœderè rem conciliantes statuimus, si consuetudo loci ex ejusmodi traditione & acceptatione sponsalia inducere soleat, inducta censeri & præsumi. *gloss. in c. fæmine. 30. q. 5. Harp. ad rubr. inst. de nupt. n. 18. Sanch. lib. 1. d. 22. n. 2.* Secus autem si talis non vigeat consuetudo: eo enim in casu nec sponsalia nec matrimonium inducitur. *Sanch. d. d. 22. n. 1.* Etratio est: quia dubius actus à consuetudine loci interpretationem recipit. *l. si de interpret. ff. de ll. c. cum dilectus 8. x. de consuet.* Huic similis est illa.

Quæstio 12.

An manus porrectio Sponsaliorum argumentum, sit tractatu de sponsalibus præcedente?

Affirmativa placet. Porrigens enim manum videtur tacite consentire, & confirmare tractatum præcedentem, etiam ubi agitur de obligatione personæ contrahenda *arg. c. 15. qui tacet. de R. J. in 6. Sanch. lib. 1. d. 22. n. 6.* Difficilis est & hæc quæstio.

Quæstio 13.

VTrum taciturnitas liberorum à parentibus desponsatorum inducat consensum, ita, ut Sponsalia jure contracta censeantur?

Similiter affirmativam eligimus. *c. un. de sponsal. in 6. l. sed ea 12. ff. eod. Moz. eod. col. qui poss. contrah. sponsal. n. 6. Sanch. lib. 1. d. 23. n. 6.* Ratio assertionis est dilectio, sollicitudo, & cura paterna. *Sanch. dict. d. 23. n. 7.*

Quæstio 14.

VTrum idem dicendum sit de alijs amicis & propinquis despontibus?

Negare suadet *Sanch. d. l. 1. disþ. 23. n. 6.* hoc enim in parentibus speciale esse colligimus ex cit. *c. un. de sponsal. & matrim. in 6.* quod de solis parentibus loquitur, ideoque ad casus non expressos extendi

non debet. l. in iis. cum aliquot seq. ff. de ll. Ad præsentem thesim pertinet hæc quæstio sat gravis.

Quæstio 15.

AN clandestina Sponsalia, sicut clandestina matrimonia, prohibita sint?

Negantibus ad stipulamur. Quamvis enim certum sit matrimonia clandestina prohibita esse tam de jure antiquo. c. cum inhibitiō. x. de cland. despōns. quām novo. Concil. Trid. sess. 24. c. 1. id tamen, cūm de sponsalibus expressè constitutum non sit, ad ea extenden-dum non est. l. præcipimus. C. de appell. Sanch. lib. 1. d. 12. n. 2.

THESIS IV.

AD Sponsaliorum essentiam duo potis-simūm requiruntur: ut persona sit legitima (a) consensus legitimus (b.)

(a) A sponsalibus enim arcentur infantes, minores scil. septennio. l. 12. ff. eod. quia usum rationis nondum habere præsumuntur. l. 1. C. de fals. mon. Quibus accedunt furiosi, ob identitatem rationis. §. furiosus. inst. de inut. stipul. gloss. in c. un. verb. infantes. de sponsal. & matrim. in 6. (b) Et is mutuus quidem, cūm consensus sit causa efficiens hujus contractus. vulg. l. nupt. ff. de R. f. c. cum locum. X. eod. c. sufficiat. 27. q. 2. Val-lens. §. 8. in princ. eod. Hic valde ardua & sepius à DD. agi-tata suboritur quæstio.

Quæstio 16.

VTrūm infans tām præcocis ingenij, ut intelligat, quid agat, ante septennium Sponsaliorum contrac-tum celebrare possit?

Negantium in castra descendimus. c. litteras, c. accessit. & c. ad dis-solvendum. de despōns. impub. Ratio est: quia ante septennium judicij maturitas non præsumitur tām de jure civili, l. 4. ff. de sponsal. quām canonico, ut in dict. cc. Harp. ad rubr. de nupt. n. 12. Et licet, quod rarissimi

rarissimi esse exempli testatur *idem Harp. cit. loc. n. 10.* quandoque eveniat, ut usus rationis ante septennium incipiat: attamen propter illud non erit discedendum à regula communi. *idem ibid. cum præsertim decisio clara sit in supra cit. cc.* Non minùs & hoc controvertitur.

Quæstio 17.

AN Sponsalia amborum infantium, vel alterutrius, validentur per supervenientiam ætatis, si non reclamaverint?

Negativè pariter *Reß. c. un. de despens. impub. in 6.* Quod enim de jure ab initio non subsistit, tractu temporis convalescere nequit. *c. non firmatur. de R. J. in 6.* nisi ad temporis lapsum accedat ratificatione tacita vel expressa, *d. c. un. de despens. impub. in 6.* Brunell. de sponsalib. conclus. s. n. 1. Hinc quæres.

Quæstio 18.

AN simultanea habitatio, oscula, jocalia & munuscula à sponsis mitti consueta sint sufficiens signum ratificationis?

Affirmantium inhæremus vestigiis. *gloss. in c. un. de despens. impub. in 6.* Brunell. de sponsal. conclus. s. n. 1. *Sanch. lib. 1. d. 16. n. 6. & d. 22. n. 5.* Ratio est: quia per ejusmodi actum præsumitur perseverantia voluntatis. *Sanch. cit. d. 16. n. 6. & actus subsequens ad executionem contractū præcedentis gestus censetur.* *Harp. de nupt. ad rubr. n. 48.*

THESIS V.

Effectus Sponsaliorum est, quòd ad ipsum matrimonium perficiendum contrahentes obligentur (*a*) quódq; ex his iustitia publicæ honestatis (*b*) oriatur.

(*a*) *c. ex literis X. eod. c. de illis. 7. de despens. impub.* De natura enim sponsaliorum est, ut ex promissione alter alteri ad contrabendum matrimonium adstringatur. *Moz. de sponsal.* & *matrim.*

trim. col. de naturalib. Sponsalior. n. 1. & hoc quidem in facie Ecclesiae juxta formam Concil. Trid. (b) quâ impediente nullus ex consanguineis Sponsi ejus Sponsam sibi potest copulare. c. Sponsam. 8. X. eod. c. si quis 8. c. 9. & 10. caus. 27. q. 2. Host. in sum. de Sponsal. §. quis sit effectus. n. 8.

Quæstio 19.

VTrum contractis Sponsalibus nullo præfixo termino contrahentes illicò ad ipsum matrimonium obligentur?

Ab affirmantibus stamus, dummodò personæ sint legitimæ, & altera ab altera ad matrimonium solennizandum interpelletur. *sanch. lib. 1. d. 28. n. 1. & 2.* In omni enim obligatione, ubi dies non apponitur, præsenti die debetur *l. in omnib. obligationib. ff. de R. f. l. eum qui. 41. §. quoties. ff. de V. o.* Ideoq; sententiam hanc veraciter tenet *Sanch. d. d. 28. per tot.*

Quæstio 20.

VTrum dans pluribus v. g. tribus sororibus fidem de matrimonio Sponsalia vera celebrâsse judicetur, ita, ut ex illis unam præcisè ducere teneatur?

Ad negandum inducimur, ob rationem, quia desponsatio in genere facta nulla est, cùm persona certa debeat esse, cùm qua sponsalia celebrantur. *l. generaliter ff. de rit. nupt. & quemadmodum unius uxoris unus maritus. c. quomodo virginib. 31. q. 1.* ita unius sponsæ unus sponsus, & è converso unius sponsi una & certa sponsa, non plures esse debent. *c. sicut ex literis. x. de sponsalib.* Ex hac alia resultat quæstio.

Quæstio 21.

VTrum autem, si ex illis taliter in genere desponsatis unam carnaliter cognoscat, cum eadem ad matrimonium obligetur?

Hic affirmamus, de jure Decretalium *arg. cap. is qui fidem. extr. eod.* Cujus rei ratio est: quia per carnalem copulam præsumitur electio facta ad hanc, quæ cognita est, adeoque ipsum matrimonium

nium statuitur, quemadmodum id etiam in conditionalibus sponsalibus procedit. *c. per tuas. x. de cond. appos. Barthol. Brixiens. question. Dominical. 29. infin. Brunell. concl. s. n: s. h. t.* De jure verò novo Trident. securus est, quo non amplius transeunt sponsalia in matrimonium, nisi contractus matrimonialis fiat coram testibus & Parocho, ut habetur *seß. 24. c. i. de reformat.* Ratione juris antiqui alia & miranda quidem nascitur quæstio.

Quæstio 22.

VTrùm, si Sponsus præsente Sponsâ protestetur, per copulam subsequentem se nolle simpliciter consentire in illam, nihilominus matrimonium præsumatur?

Et præsumi verius ac æquius est: Protestatio enim hæc, utpote actui contraria, nostro in casu nihil operatur. *Hofst. in sum. de cond. appos. §. quæ conditio. gloss. in c. per tuas x. dict. tit de cond. oppos. Schneidw. part. 1. n. 36. inf. de nupt.* Quia, si operaretur, induceret culpa lethalis: hinc præsumendum est potius affectione conjugali copulam esse factam. *Harp. ad rubr. de nupt. n. 32.* Quod hodiè similiter correctum est jure novissimo, ut diximus præcedenti quæstione.

Quæstio 23.

VTrùm publicæ honestatis justitia oriatur etiam ex sponsalibus jure non tenentibus & nullis?

Differentiam facientes inter jus antiquum & novum, dicimus illo jure oriri *c. un. de sponsal. & matrim. in 6. Brunell. eod. concl. 10. n. 1. Joan. Franc. de Pavin. in tract. de visit. q. 8. part. 2. n. 58.* rationem assignamus: quia sponsalia hoc in casu considerantur ipso facto, non juris effectu *gloss. in c. ad audientiam. hoc tit.* Novissimo autem jure non oriri publicam honestatem, nisi ex sponsalibus validis, constat *ex Concil. Trid. seß. 24. c. 3.*

THESIS VI.

SOlvuntur autem Sponsalia (*a*) multis modis; velut mutuo dissensu (*b*) fornicatione

catione subsecutâ (c) absentiâ Sponsi alterius (d) matrimonio subsequenti (e) ingressu religionis (f) voto (g) affinitate (h) cognatione (i) deformitate superveniente (k) impotentia cœundi (l) hæresi (m) furore (n) & alijs modis (o.)

(a) de futuro scil. nam quibus de præsentî solvantur, infra dicemus (b) c. 2. X. b. t. Jo. And. in suo compendios. tract. de sponsalib. in princ. n. 4. Brunell. eod. concl. 9. n. 1. (c) c. quemadmodum. 25. X. de jurejur. Sanch. lib. 1. d. 55. in princ. (d) c. de illis. extr. b. t. Brunell. eod. concl. 8. n. 3. (e) c. sicut. 22. Et c. 31. extr. b. t. Harp. ad rubr. de nupt. n. 70. (f) quod procedit à majori ad minus. cùm enim matrimonium dissolvatur per religionis ingressum. c. 2. Et 7. de convers. conjug. multò magis solventur Sponsalia. Jo. And. de consanguinit. Et affinit. col. 3. n. 8. Moz. de sponsal. colum. quomodo solvantur. n. 6. (g) c. veniens. 5. Et tot. tit. X. qui Cler. vel vovent. matr. contrah. poss. Moz. col. quomodo solvantur. n. 8. b. t. (b) c. veniens. 2. Et c. ex literis. 8. X. de eo, qui cogn. cons. ux. su. c. 2. X. de consang. Et affin. (i) spirituali, legati, Et carnali. c. Martinus Et c. Veniens, de cogn. spirit. c. 1. de cognat. leg. c. non debet. de consang. Et affinit. Jo. Andr. in d. tract. compendios. de sponsal. n. 7. 8. Et 9. (k) c. quemadmodum. 25. X. de jurejur. c. literas. de conjug. lepros. Sanch. lib. 1. d. 56. in princ. (l) c. 2. Et 3. X. de frig. Et malef. qnia hic deficit bonum matrimonij, quod est susceptio prolis. Host. in sum. de matrim. §. Et quare. (m) c. non solum. 28. q. 1. quia est fornicatio spiritualis. Moz. d. tract. col. quomodo solv. n. 17. Sanch. lib. 1. d. 55. n. 3. (n) c. neq; furiosus. 32. q. 7. quia consensu ad matrimonium requisito destituti sunt. gloss. in cit. c. (o) ut si terminus præfixus elapsus fuerit, nec per solventem partem steterit, quo minus matrimonium solennizatum sit. c. sicut. 22. X. b. t. Item si capitalis inimicitia supervenerit. Sanch. lib. 1. d. 58. Pariter si conditio apposita defecerit. c. 3. de cond. appos.

Vall.

Vall. §. 4. n. 6. b. t. Postremò errore quoq; solvuntur, utpote qui contrarius est consensui ad sponsalia requisito. sic. Jo. Andr. sape cit. tract. n. 5. Quæ omnia plerumq; cognoscuntur per hos versiculos.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen.
Cultus disparitas, vis, Ordo, ligamen, honestas.
Si sis affinis, si forte coire nequibus.

Quæstio 24.

AN Sponsalia, concubitu subsecuto, mutuo dissensu dissolvi possint?

Affirmativè respondemus hodierno jure: quia sponsalia hodiè per copulam non transeunt in matrimonium, nisi ad hoc adhibeatur forma præscripta in Concil. Trid. sess. 24. c. 1. adeoq; novo hoc jure dissolvi possunt sponsalia per mutuum dissensum, sive copula insecuta sit, sive non; prout quotidiè solvuntur coram Venerabili Consisto: Viennensi: cuius sententiæ tenor pro Stylo Curiæ sonat: Beede Thail seyen ex mutuo dissensu von einander ledig vnd loß gesprochen; vnd stche jedem Thail/ sich ferners seines beliebens zu verehelichen bevor. Huic subnectimus gravissimam illam quæstionem.

Quæstio 25.

VTrùm, si Sponsa non voluntariè, sed vi pudicitiae damnum perpessa sit, Sponsalia propterea rescindi possint?

Id quod affirmamus t. quemadmodum ibi: Vel quidquam ei turpius eveniret, & gloss. in verb. oculos X. de jurejur. Brunell. h. t. n. concl. s. n. 4. Vitium enim ex violatione pudicitiae proveniens cæteris longè odiosius & detestabilius est teste Harp. ad rubr. de nupt. n. 56. Ideoq; hanc sententiam tenet c. raptor. & gloss. ibid. 27. q. 2. Sanch. lib. 1. d. 55. n. 7. Moz. colum. quomod. solv. n. 9. Sat quoq; controversum est illud:

Quæstio 26.

VTrùm paupertas superveniens legitimam solvendi sponsalia causam præstet?

Distinctionem adhibentes respondemus, si certa quantitas in domum promissa sit, & Sponsa labatur facultatibus, rescindi posse sponsalia, quia promissio dotis est velut conditio, sub qua sponsalia celebrantur, quâ deficiente non obligant sponsalia. *Sanch. lib. 1. d. 59. cum mult. ibid. cit.* Si verò dos nulla promissa fuerit, non rescindi. *Sanch. cit. d. 59. n. 3. Harp. ad rubr. de nupt. n. 64. Moz. sapè dict. tract. de sponsal. & matrim. col. quomodo solv. sponsal. n. 10.*

Quæstio 27.

VTrùm legitimâ causâ extante pars innocens sponsalia sine judicis authoritate dissolvere possit?

Affirmativam defendimus, dummodò causa certa sit de jure & facto. Sponsalia enim tacitam in se continent conditionem, nisi casus aliquis accidat sponsalibus contrarius. *c. quemadmodum. X. de iuris. rejur.* Ergò occurrente causâ legitimâ licitum erit, sponsalia propriâ authoritate dissolvere. *Ita Sanch. lib. 1. d. 69. n. 3. 4. 5. & 6. cum mult. ibid. cit.* Hujus intuitu sit

Quæstio 28.

QUæ poena constituta sit contra eos, qui à sponsalibus sine causa legitima resiliunt?

Respondemus arrhas datas, si minor sit, amittere: duplicates autem reddere teneri, si major existat. *l. fin. C. de sponsal. Sanch. lib. 1. disp. 37. in princ. Vall. §. 3. n. 2. h. 1.* Præterquam, quod ejusmodi resilientes lethali culpæ se subiiciant, ut tenet. *Sanch. lib. 1. d. 27. n. 2.* Et extat hac de re declaratio Concilij Tridentini ab Ordinario Viennensi facta, de dato 4. Novemb. 1629. §. 3. in hac verba. Obwohl zum dritten durch solche Sponsalia de futuro die zusammen verlobte Personen nicht so stark / als in denen matrimonii de præsenti, vñnd recht Ehelichen Vermählungen an einander verpflicht vñnd verbunden seynd: Jedoch kan kein Person von der beschœhenen Eheversprechung auf eygnem willen ohne gnungsamb erheblich- vñd in rechten beständigen Ursachen (welcher Erkantnuß allein von denen ordentlichen Geistlichen Consistorijs beschœhen muß) ohne Todtfünd abweichen.

Quæstio 29.

QUæ de praxi executio detur contra recusantes sponsalia fidem adimplere?

Eandem

Eandem, quæ jure præstituta est, dari affirmamus: ut nimirum, hujusmodi refractarij primò quidem juxta formam. c. cum locum. X. b. t. Franc. de Pavin. tract. de visitationib. q. 8. part. 2. n. 56. ad constituendam libertatem disquisitione locisecuri per tempus detineantur, & ad fidem servandam admoneantur: dein verò, si hac coercitione ad id induci nequeant, Ecclesiasticâ censurâ. juxta cap. ex literis. 10. b. t. Stringantur. Quemadmodum hic compellendi modus familiaris, usitatus, & quotidianus est Venerabili Consistorio Viennensi: de quo præjudicium pulchrum habemus ab anno 1657. die 7. & 10. Mens. Septembrib. Ad Sponsaliorum materiam adhuc referimus hanc quæstionem.

Quæstio 30.

AD quid teneatur Virginem deflorans, vel etiam, imprægnans sine spe conjugij?

Ad dotandam & ducendam statuit. c. 1. extr. de adult. & stupr. Hieron. Zanet. in suo tract. de diff. utriusq. jur. n. 247. Baptif. de S. Blas. cent. 2. n. 62. de privileg. dotal. Vall. §. 2. n. 3. de adult. & stupr. Quod vel maximè etiam de hodierna praxi Consistoriali procedit, ut Virginem deflorans ducere aut dotare; imprægnans autem partum aflare teneatur. Atq; hæc de sponsalibus, quæ nuptias præcedere debent: Jam verò de ipso matrimonio.

THESIS VII.

Matrimonium (*a*) est viri & mulieris (*b*) conjunctio (*c*) individuam (*d*) vi-
tæ consuetudinem (*e*) continens (*f*.)

(*a*) à matre dictum: quia duriora subeunt onera fœminæ in matrimonio, quam viri: ideoq; non Patrimonium, sed Matrimoniu nuncupari debet. c. ex literis. de cōvers. infid. gloss. in c. quis existimaret. 27. q. 1. Matrimonium aliter dicitur Conjugium, Connubium, Nuptiæ: prius à jugo domesticæ curæ, cui pariter deportando vir & mulier per matrimonium constringuntur. Andr. Vall. de sponsal. & matrim. §. 4. n. 1. Posteriora duo à nubendo, id est velando & tegendo, ut noverint uxores se maritis suis

semper subditas. c. fœminæ. 30. q. 5. quod olim laudabiliter
præstitisse Rebeccam testatur sacra pagina, cùm illa maritum de-
signatum aperto capite non putârit aspiciendum. Genes. 24. vers.
64. & 65. (b) quibus verbis singularis numeri pluralitatem
uxorum vel virorum, sive polygamiam prohibitam esse ostenditur.
§. affinitatis. & §. sacerum. inst. b. t. affectus enim conjugalis
non debet in plures uxores dividi. c. gaudemus. X. de divort. Idq;
ex ipsa primi matrimonij institutione abundè patet: Et erunt
duo: (non plures) in carne una: Et adhærebit vir uxori
(non uxoribus) suæ. Quod adeò verum est, ut bigamus vel
polygamus non tam de jure scripto infamia notam incurrat. l. i. ff.
de his, qui not. infam. & stupri pænâ coërceatur. l. eum qui
duas 18. ff. ad leg. Jul. de adult. Quam ex consuetudine capitis
pœnam subire debeat vigore Constit. Caroli V. In der peinlichen
Hals-Gerichts-Ordnung. c. 121. (c) legitima scil. non for-
nicaria vel adulterina: Scortatores enim & adultores judicabit
D E U S. Hebr. 13. & hi regnum D E I non possidebunt. l. Co-
rinth. 6. Animorum, non corporum conjunctio, quia consensus,
non coitus, nuptias facit. l. nupt. ff. de R. J. c. matrimonium. 27.
q. 2. Moz. in tract. de sponsal. & matrim.col. de matrimonio. n. 2.
(d) contrahentes enim ejus debent esse propositi, ut nunquam se-
parentur aut dividantur, vel separari aut dividi velint, ut colligi-
tur ex cit. can. fœminæ. 30. q. 5. Host. in sum. de matrim. in princ.
Brunell. eod. in princ. n. 5. Etenim ad tempus matrimonium
contrabi non potest. c. solet. 32. q. 2. gloss. in c. omne 27. q. 2. (e)
per quam intelligimus, conjuges sibi invicem ad mutua obsequia
teneri, ijsdemq; fortune statibus prosperis & adversis expositos
esse. Joan. Boscb. tract. de nupt. lib. 2. n. 9. quod Imperatorem Iu-
stinianum in l. i. ff. de rit. nupt. per ea verba consortium omnis
vitæ indicare voluisse testatur. Harp. §. 1. n. 42. inst. de patr.
potest. (f) Definitio hæc Ethnicis Jurisconsultis primum cogni-
ta. l. i. ff. de rit. nupt. à Catholicis quoq; Scriptoribus recepta est,
& approbata à summis Pontificibus. c. illud. X. de præsumpt. §. 1.
inst. de patr. potest. Brunell. b. t. concl. 1. n. 1. Jo. Andr. de con-
sanguini-

sanguinit. & affinit. col. 2. n. 28. Moz. cit. col. de matrim. n. 2.
Vall. §. 4. n. 2. eod. Harp. §. 1. n. 10. eod. Schneidv. part. 2. n.
2. eod. Treutl. vol. 2. disp. 6. thes. 7. Sanch. lib. 2. disp. 1. in princ.
& passim autiores.

Quæstio 31.

AN matrimonium hodierno tempore sit de præcepto?

Negativè respondemus rationem assignantes: quia cùm olim genus hominum paucis contineretur, obligabantur singuli ad conservationem ejusdem generis. D. Thom. 4. d. 26. q. 1. a. 2. Sanch. lib. 2. d. 3. n. 1. Hac autem causâ impulsivâ multiplicatis jam hominibus cessante cessat quoq; ejus dispositio & obligatio. arg. c. cum cessante. X. de appellat. Non tamen omnino sublatam volumus obligationem hanc: sed moderatam tenemus, ita, ut singulos matrimonij præceptum hodiè quidem non stringat, rempubl. tamen in communi obliget, idq; ad conservandum genus humanum; adeoq; præceptū matrimonij in communi extet & extiturum sit usq; ad mundi finem. Sanch. cit. disp. 3. n. 3. qui D. Thom. & alior. multor. autoritatem ibid. proferat. Hujus occasione curiosam ponimus quæstionem,

Quæstio 32.

VTrùm, si omnes præter Monachos & voto adstrictos, perirent, hi matrimonium contrahere tenerentur?

Affirmativam tenemus cum. Sanch. lib. 2. d. 3. n. 4. Quia cùm præceptum matrimonij, ut quæstione precedenti asservimus, vigeat usq; ad consummationem mundi, & obliget rempubl. quæ in casu nostro constaret ex meritis Monachis aut voto adstrictis, tenerentur hi necessariò fœdus conjugale inire ex ipsis jussu Dei in sacris litteris Crescite & multiplicamini, & replete terram. Genes. c. 1. n. 28. Sanch. d. lib. 2. d. 4. n. 3. Harp. §. 1. n. 98. inst. de patr. potest. Non enim potest immortalitas introduci, nisi per matrimonium. novell. 22. in prefat. Harp. d. §. 1. n. 102. Nevizan. in sylv. nupt. lib. 3. n. 1. & 8. Hic alia se offert quæstio.

F

Quæst.

Quæstio 33.

AN polygamia tām antiquitūs, quām moderno tempore, prohibita fuerit, & prohibeatur?

Affirmativam pariter admittimus sententiam. A prima enim matrimonij institutione pluralitatem uxorum vel virorum prohibitam esse manifestē nobis ostenditur per ipsa institutionis verba: Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ &c. c. gaudem. de divort. Host. in sum. de spons. & matr. in princ. Nec moverint aliquē exempla Patriarcharū, aliorumq; virorum justorum, qui, ut refertur in sacra pagina, plures in coniugio tenuere uxores. Sic Lamech primus duas assumpsit. Genes. 4. v. 19. Abraham uxore vivente ad ancillam Agar ingressus ex ea filium genuit. Genes. 16. vers. 4. Jacob quoq; duas eodem tempore. Genes. 29. præter famulas, quibus adhæsit. Genes. 30. David sex uxores, & concubinas decem. Reg. 2. c. 3. & c. 20. v. 3. tenuit: his etenim plures sibi associare uxores divinā fuit revelatione cōcessū. d. c. gaudemus. Idq; non abs re: neq; enim Abrahā ardore aliquo vagae libidinis succensus, vel petulantis formæ captus decore ancillæ contubernio cōjugalem posthabuit thorū: sed studio quærendæ sobolis, & propagandæ posteritatis, quā ex propria uxore quærere non potuit, id perfecit. c. dixit. 32 q. 4. Brunell. de sponsal. concl. 1. n. 3. Cūm autem ad matrimonium necessaria sit benedictio Sacerdotis, quæritur.

Quæstio 34.

UTrūm à proprio Parocho benedictio fieri debeat?

Hic quoq; affirmare jubet Decretum de reformatione matrimonij. sess. 24. c. 1. Adeò quidem, ut, etiamsi præsentibus testibus, & Presbytero legitimo contrahentes benedicantur, ejusmodi nuptię irritæ & nullæ ipso facto judicentur & habeantur: nisi benedicens de licentia Ordinarij vel Parochi actum exerceat; hoc enim in casu staret matrimonium, ut habetur in præcitat. c. 1. de reformat. matrim. Hujus occasione per digressionem exercitijs gratiā quæritur.

Quæstio 35.

UTrūm Episcopus in aliena Diœcesi jurisdictionem exercere possit?

Nega-

Negativam totis viribus amplectimur adversus contrafacientes. Et probatur conclusio nostra ex c. alterius. & c. nullus Primas. 9. q. 2. Ubi nullus Episcopus Ordines in alterius Dioecesi conferre potest, nisi hoc ei ab Ordinario loci expressè indulgeatur; ita, ut in contrarium facere præsumens, & alterius Episcopi Dioecesim vel civitatem animo jurisdictionis exercendæ adiens damnationis poenam subeat. d. c. nullus Primas. Quam salubrem canonicum provisionem laudabiliter statutam & confirmatam esse jure novissimo, & universali Tridentinâ Sinodo, ut nimis nullus Episcopus in aliena Dioecesi Pontificalia & jurisdictionem exercere, vel sacros impetrari Ordines præsumat; secùs tam ordinantem ab usu Pontificalium, quām ordinatum ab executione Ordinum ipso jure suspensos esse, habemus per text. express. in c. 2. de reformatione sess. 14. Azor. in suis inst. moralib. part. 2. lib. 3. c. 48. Ad rem nostram reverendo queritur.

Quæstio 36.

AN ad validitatem matrimonij denunciationes necessariò præmitti debeant?

Affirmativæ subscribimus. Cùm enim edictum de matrimonij sit prohibitorum certarum personarum. c. cùm apud 33. X. de sponsal. Brunell. concl. 31. n. 1. eod. Hinc laudabiliter statutum & receptum est, denunciationes ejusmodi præmitti debere, ut si forte quid lateret, quod matrimonij consummationem impedire posset, id vel removeatur, vel matrimonium omnino inhibetur. Harp. ad rubr. de nupt. n. 2. Trident. sess. 24. c. 1. de reform. matrim. Ad hanc spectat illa

Quæstio 37.

UTrum Sponsi diversis in locis separatis morantes in utriusq; Parochia denunciari debeant?

Cum priore quæstione affirmamus, idq; ob causam finalem, ipsius denunciationis. nam cùm hæc ad detegenda, si qua fortassis occurrerent, impedimenta præmitti debeant, ut ex Harp. & Trident. paulò antè demonstravimus: In vicinia autem mulieris impedimenta viri, vel econtra, sciri nequeant: hinc in utriusq; Parochia denunciations fieri debere consequitur. Ita Sanch. lib. 3. disp. 4. n. 6. Sed quia ex causa circa denunciations nonnunquam dispensari solet, queritur.

Quæstio 38.

VTrum Vicarius Generalis Episcopi absq; speciali delegatione in denunciationibus dispensare possit?

Ad affirmandum nos inducit. *Trid. Sess. 24. c. 1. de reform. matrim.* Ubi hæc dispensandi facultas Ordinario conceditur: at Vicarium Generalem Episcopi Ordinarium esse non ambigimus, eò quod jurisdictionem non ab Episcopo, sed à canone habeat. *c. 2. de off. Vic. in 6.* Cui proinde tantus honor, quantus ipsi Episcopo, deferri debet. *Azor. part. 2. instit. moral. lib. 3. c. 43. cum mult. ibid.* Confirmatur: à delegato appellatur ad delegantem. *c. super questionum. §. porr. de Off. delegat.* Ast à Vicario Generali non appellari ad Episcopum statuitur *inc. Romana. de appellat. in 6.* & *c. 2. de consuet. in 6.* ergò Ordinariam habet jurisdictionem. Atq; ideo sententiam nostram amplectitur ac tuetur veraciter contra negantes. *Sanch. lib. 3. d. 7. n. 10. Azor. d. part. 2. lib. 3. c. 6. q. 12.* & *c. 43. q. 5.* Quid si autem non dispensemur, nec denunciations fiant? Quaritur ergò ulterius.

Quæstio 39.

AN matrimonia eorum, qui ex Austria, ubi Tridentini decretum de reformatione matrimonij receptum & approbatum est, in Hungariam, vel alium locum, quo id receptum non est, excurrunt, ibidemq; sine proprio parocho in facie Ecclesiæ conjunguntur, valida censeantur & sint?

Sed id negandum & pernegandum esse dicimus. Cum enim Sacrosancta Sinodus *sess. 24. c. 1.* matrimonia in facie Ecclesiæ coram proprio parocho & testibus præcipiat celebrari: hinc contra agentes, nihil agere, saltem validè certum est. *l. non dubium. C. de legib. c. qua contra. de R. J. in 6.* quia præsertim ejusmodi contractus matrimoniales in fraudem legis fiunt: fraus autem nemini patrocinari debet. *c. sedes.* & *c. ex honore. x. de rescript.* Ideoque sententiæ huic firmiter adstipulatur *Sanch. lib. 3. d. 18. n. 27.* qui Petrum de Ledesm. & alios complures *ibid. prosecut.* Et extat hac de re Breve Pontificum Urbani Papæ VIII. de dato Romæ 14. August. 1627. cuius tenori inhærendo ab Inclita Facultate Theologica Viennensi ad requisitionem Excelsi Inferioris Austriæ Regiminis ita conclusum & decisum fuit Anno 1656.

THE-

THESIS VIII.

AD matrimonij essentiam tria (a) necessariò requirimus: consensum (b) ætatem legitimam (c) & cœundi potentiam (d)

(a) eaque, collective, non disjunctive: si enim ex his unum deficiat, deficit matrimonium; ut si solus consensus desit, cetera etiam cum ipso complexu celebrata frustrantur. c. sufficiat. 27. q. 2. c. fin. extr. de spons. duor. (b) vulg. l. nuptias. ff. de R. f. c. cum locum. de sponsal. l. sufficit. 2. Et l. in sponsal. 7. ff. d. t. Et hic consensus debet esse mutuus: inter invitox enim non contrahitur matrimonium. l. si patre. 22. ff. de rit. nupt. legitimus. c. si inter. c. dilectus. Et c. tuæ fraternitatis. x. d. t. de sponsal. liber. d. c. cum locum. sine dolo, vi, metuve. c. veniens. Et c. consultationi. eod. de sponsal. Andr. Vall. §. 8. n. 4. eod. (c) pubertatem scil. quam jus civile quidem ex annorum numero, videlicet in masculo 14. in foemina 12. an. judicat. text. in princ. inst. quib. mod. tutel. fin. Sacra canones autem, quibus nos stamus, ex habitu corporis metiuntur, ut pubes judicandus sit, qui ex eo habitu ad generandum idoneus reperitur. c. puberes. 3. x. de desp. impub. Quæ pubertas si præveniat tempus juris civilis, dicitur malitia supplere ætatem. c. de illis. 9. d. t. c. un. §. 1. eod. in 6. Vall. §. 7. n. 2. eod. (d) matrimonium enim pro fine principaliter tenet prolis generationem. Joan. Lup. in tract. de matrim. Et legitimat. in princ. n. 14. impotens autem cum generare non possit, dubium nullum, quin matrimonium ei interdicatur. c. 2. Et t. t. x. de frig. Et malef. Sanch. lib. 1. d. 29. per tot. quin imò contractum Et ratum matrimonium impotentia superveniens dissolvit, de quo pleniū infra thesi 10. Ex hac thesi primo queritur.

Quæstio 40.

AN consensus parentum ad matrimonij essentiam & integratatem requiratur?

Negantum partes tuemur contra dispositionem juris civilis, quod consensum hunc requirit. *text. in princ. inst. de nupt.* quamvis honestum esse, cundē ad matrimonium accedere concedamus. *c. 1. de sponsal. impub. Vall. §. 9. n. 2. de sponsal. & matrim. de necessitate* tamē eum requiri negamus: sufficit enim consensus eorum earumq; de quorum, quarumq; agitur conjunctione. *c. sufficit. 27. q. 2. c. cum apud. x. de sponsal.* Quod vel maximē etiam procedit novissimo jure Tridentino, quo anathemate damnantur affirmantes, matrimonia à filiis fam. absque consensu parentum contracta irrita esse *scī. 24. c. 1.* Rationem conclusionis nostræ sumimus ex eo, quòd in Sacramentis & spiritualibus patria potestas non consideretur *c. fin. de judic. in 6. Vall. cit. §. 9. n. 2. Gail. 2. obs. 95. n. 4.* Ex hoc facile patet resolutio hujus.

Quæstio 41.

AN pater filiam sine consensu paterno nubentem dotare teneatur?

Affirmativam eruimus ex argumento prioris quæstionis. Cùm enim matrimonium absque consensu paterno persistat *c. cum apud x. de sponsal. & latè proximè supra.* dotem pater filiæ denegare non potest, sed reddere tenetur. *gl. in c. hoc sanctum. 32. q. 2. & c. de reptorib. 36. q. 1.* adeò, ut pater ad dotandum officio judicis cogatur. *l. qui liberos. ff. derit. nupt.* paternum enim est officium elocare filiam, & dotare eam *d. l. qui liberos.* ergò si nuptui jam collocata est præter patris prouidentiam, dotari adhuc debet ab eo, qui ad duo hæc elocandum nempè & dotandum tenetur, *d. l. qui liberos.* Atque ideò sentiunt nobiscum *Sanch. lib. 4. d. 26. n. 16. Schneidw. §. fuerat. n. 84. inst. de act. Gail. pulchrè lib. 2. obs. 95. per tot.* Similiter quæritur.

Quæstio 42.

AN filia in corpus suum peccans à patre dotanda sit?

Distinctione hoc expediendum censemus, ut, si filia ante 25. annum in suum corpus peccet, ac turpiter vivat, dos ei denegari possit. *arg. l. si filiam. 19. C. de inoff. test. specul. in tit. qui fil. sint legit. n. 15.* Secus si post annū 25. patre eam nuptui collocare differente delinquit: quo in casu dotandam dicimus. *auth. sed si. d. t. atq; ita distinctionem hanc pulchrè tenet. schneidw. in princ. n. 3. inst. de exhaled. lib. & §. fuerat. n. 88. inst. de act.* Circa hoc quæres.

Quæst.

Quæstio 43.

AN dos sit de substantia & essentia matrimonij?

Quod apertè negamus *authoritate c. de prudentia. X. de donat. int. vir. & ux.* Potest enim adesse vel abesse matrimonio præter subjecti corruptionē. *Moz. de matrim. col. de accidentalibus. n. 7.* Hinc maritus uxorem sine dote ductam æq; alere tenetur, ac cum dote ductam. *Gail. 2. obs. 87. n. 1. & obs. 95. n. 7.* De hoc infra pluribus thes. 12. Sed magis ardua quæstio est.

Quæstio 44.

VTrum traditio corporum, sive consummatio, de essentia matrimonij sit?

Negantum pariter probamus sententiam: matrimonium enim non concubitus, vel virginitatis defloratio: sed pactio conjugalis, seu mutua voluntas & consensus facit. *Vulg. l. nupt. ff. de R. J. c. sufficiat. & c. cum iniciatur. 27. q. 2. c. fin. X. de spons. duor. l. 4. ff. de sponsal.* Hinc

Quæstio 45.

AN inter Beatissimam DEI Genitricem, & S. Joseph verum ac ratum matrimonium extiterit?

Nullus est, qui hæreat. *c. conjuges. & c. Beata. 27. q. 2.* Hos enim consensus cohabitandi, & individuam vitæ consuetudinem retinendi veros effecit conjuges. *d. c. Beata. Brunell. de sponsal. concl. 1. n. 9. Vall. §. 4. n. 5. d. t.* Inq; hoc Sacratissimo conjugio omne nuptiarum bonum impletum fuit, Fides, Proles, Sacramentum. *c. omne. 27. q. 2.* Ex hisce duabus quæstionibus resultat ea.

Quæstio 46.

AN cum proposito & pacto nunquam consummandi: sed perpetuò abstinendi matrimonium iniri possit?

Negare jubet triplex bonum matrimonij. In omni enim matrimonio legitimo intervenire debet Fides, Proles, & Sacramentum, ut paulo ante diximus ex *c. omne 27. q. 2.* Fides, ut thorus immaculatus conservetur nullo admisso adulterio: Proles, ut à matre suscipiatur ac educetur: Sacramentum quod inseparabilitatem conjugum de-

notat. de quib. pulchre Joan. Lup. in tract. de matrim. & legitimat. in princ. n. 13. Hic autem cum bonum proliis, utpote principale matrimonij deficeret, matrimonium nullum foret deficiente substanciali. c. fin. x. de cond. appos. Quod ipsum nobis testatum facit, & matrimonium nullum esse, ubi opera datur, ne foemina pariat, statuit D. August. lib. 2. de Mor. Man.

THESIS IX.

AD matrimonium contrahendum admittimus omnes (a) nisi quos lex expressa (b) vel impedimentum legale (c) ab hoc removeat.

(a) Host. in sum. de matrim. n. 9. qui scil. requisitis ad matrimonium instructi sunt, de quibus superiori thesi actum est. (b) quales sunt furiosi: hi enim a contractu matrimonij arcentur, idq. ob defectum consensus. c. furiosus. 32. q. 7. c. dilectus. x. de sponsal. (c) ut sunt impotentes ad coeundum: de quibus plenius infra thesi proximâ. Quibus adjungimus Clericos, & voto adstrictos. c. 1. c. 9. & c. 13. dist. 32. c. virginem. 27. q. 1. Trid. ses. 24. can. 9. Quod verum quidem est de iis, qui in majoribus Ordinibus constituti sunt, ut in d. c. 13. Minoribus enim tantum initiati ad matrimonium convolare jure permittuntur. c. 14. cit. dist. Ex hoc quares.

Quæstio 47.

VTrum minoribus Ordinibus tantum initiati indiferenter cum quacunq; matrimonij foedus pangerre possint?

Negativè respondentes eis cum virginibus tantum, non item cum viduis, aut corruptis matrimonium concedimus, c. seriatis. dist. 32. Ratio conclusionis consistit in bigamia, quam ducens viduam aut corruptam incurrit; quâ impediente deinceps ad nullum alium ordinem promoveri posset. d. c. seriatis. c. si quis c. curandum. c. precipimus. & c. si quis viduam. dist. 34. c. 1. x. de bigam. non ord. Adeò, ut etiam

etiam maritus adulteræ post adulterium à se cognitæ ab Ordinibus
repellatur. *text.* & *glos.* in c. sicujus cit. dist. 34. Hujus intuitu quæritur.

Quæstio 48.

VTrùm bigamia inducatur cum corrupta ignoran-
ter ducta?

Quod affirmamus. Neminem enim ad sacros promoveri Or-
dines posse viduum, nisi qui Virginem in Conjugio habuerit, præmi-
simus in thesi præcedente, & manifestè constat ex c. *nemo.* dist. 33. At
corrupta, sive sciente, sive ignorantie viro, virgo amplius non est,
adeoque ex ejus coniunctione bigamia consurget: quia in contra-
henda bigamia plus attendimus factum, quam jus; & in ea nec er-
ror, nec violentia, nec casus excusat. *glos.* in d. c. *nemo.* Et de hac
conclusione apertius videre est in *glos.* c. 2. & c. *debitum.* x. *de bigam.*
non ord.

Quæstio 49.

UTrùm de jure civili puberes, neandum tamen ad
complexum conjugalem idonei matrimonium
contrahere possint?

Posse concedimus cum *Sanch. lib. 7. d. 104. n. 14.* quia ex quo
ætas legitima est, nec appetet de impedimento perpetuo, matrimo-
nium tenet: aliás impotens ob infirmitatem quoque contrahere
matrimonium non posset, quod verum non est. *Moz. tract. de marr.*
col. qui poss. contrah. matrim. n. 4. Ex adverso:

Quæstio 50.

UTrùm senibus matrimonium celebrare indul-
tum sit?

In affirmativam descendimus. *l. sanctimus. C. de nupt. Sanch. lib.*
7. d. 92. n. 21. Harp. ad princ. inst. de nupt. n. 28. ubi perplura à senibus
contracta referuntur matrimonia. Conjugium enim in senibus di-
citur legis obsequium, humanitatisque solatium. *glos.* in c. *nuptiar.*
27. q. 2. c. 2. x. defrig. & *malef.* *Moz. de matrim. col. qui contrah. poss. n. 11.*
Hic alia proponitur quæstio.

H

Quæst.

Quæstio 51.

ANAGONIZANS JURE MATRIMONIUM COTRAHERE POSSIT?

Ad affirmandum pariter nos monet *Sanch. lib. 7. d. 105. n. 3.* & *Nicol. Moz. col. qui contrah. pos. n. 18.* qui hanc esse communem opinionem *ibid. dicit. Schneidw. n. 32. inst. de patr. potest.* Nec obstat hic defectus prolis, utpote bonum conjugij: quia spes ejusdem totalis non est sublata; & matrimonium tenet, modò intentio prolis adsit, licet quandoque in effectu nihil sequatur *Brunell. de sponsalib. conclus. 1. n. 9.* Multum controversa est & hæc quæstio.

Quæstio 52.

VTRUM HERMAPHRODITUS AD MATRIMONIJ CONTRAHÉTUM ADMITTATUR?

Admittimus eum juxta prævalentiam sexus. *I. 10. ff. de stat. hom. Vall. §. 10. n. 4. de sponsal. Sanch. lib. 7. disp. 106. n. 4.* Si verò sexus æqualis foret, electionem, quo uti maluerit, concedimus, hac tamen lege, ut electione factâ juramento se adstringat de mutatione sexus impo-sterum non facienda, *Ita Sanch. cit. d. n. 7. Vall. cit. loc.*

THEsis X.

IMPEdIMENTORUM AUTEM DUO CONSTITUIMUS GENERA: QUORUM ALTERUM MATRIMONIUM IMPEDIT CONTRAHENDUM (*a*) ALTERUM, VERÒ CONTRACTUM DISSOLVIT (*b*).)

(*a*) & HÆC DICUNTUR IMPEDIMENTA IMPEDIENTIA. Sic sponsalia de futuro impediunt quidem matrimonium cum alio vel alia contrahendum. *Host. in sum. de sponsal. §. quis sit effectus. Moz. b. t. col. ult. n. 53. Sanch. lib. 1. d. 27. n. 2.* si tamen de facto matrimonium contrahatur, tenet contractus. c. sicut ex literis. *X. de sponsal. c. si inter. eod. Sanch. cit. loc. item lib. 7. d. 6. n. 7.* (*b*) quæ IMPEDIMENTA DIRIMENTIA NUNCUPANTUR; quale IMPEDIMENTUM EST IMPOTENTIA AD CŒUNDUM, quod viris plerumq; ex fri-giditate

giditate, fœminis ex arctitudine: ambobus autem ex maleficio obvenire solet secundum Sanch. lib. 7. d. 92. n. 1. Brunell. de sponsal. conclus. 28. n. 2. Atq; ob hoc impedimentum matrimonium non tam dicitur dissolvi, quam ipso jure nullum. Circa hanc thesim querimus.

Quæstio 53.

VTrùm impotentia perpetua superveniens dirimaturum matrimonium?

Negantum se etiamur opinionem. gloss. in c. ex literis. 3. x. de frig. & malef. c. ij qui matrimonium. 32. q. 7. ubi dicitur: si post matrimonium ratum alteruter in infirmitatem incidat, vel excæetur, aut membris truncetur, propterea matrimonium non dissolvitur: ergo nec per impotentiam supervenientem. Ita Sanch. lib. 7. d. 102. n. 3. Vall. n. 3. de frig. & malef. Brunell. conclus. 28. n. 2. de sponsal. & matrim.

Quæstio 54.

UTrùm impotentia frigiditatis manifesta in viro occurrente matrimonium ipso facto absque experientia triennali dirimi possit?

Affirmantibus subscribimus c. laudabilem. x. de frig. & malef. Brunell. concl. 28. n. 17. de sponsal. & matrim. Rationem hujus assignamus, quia in claris & certis nullus est conjecturæ locus. l. continuus §. cum ita. ff. de V. o. & frustra tempus exspectatur, cuius eventus nihil operatur. l. aliquando. 13. ff. ad Senatuscons. Vell. Ex paritate quæres.

Quæstio 55.

UTrùm idem quoque dicendum sit de fœmina, ut nimirùm impotentia ob arctitudinem apparente confessim dirimendum sit matrimonium?

Distinguendum hic censemus, utrùm impedimentum hoc ope Medicâ, vel aliâ humanâ tolli possit, nec ne. Moz. col. ult. de matrim. n. 44. & 47. Priori namque casu, ubi mulier per incisionem, vel aliud quodcunq; medium humanum complexui maritali apta reddi potest, dirimi prohibetur. c. fraternitatis. x. de frig. & malef. Brunell. conclus. 28. n. 18. Quod si verò impedimento huic succurri non possit, di-

rimi potest. *cit. c. fraternitatis*, adhibitis circumstantiis *eod. cap.* adhiberi jussis. Et hoc quemadmodum jure optimè statutum est, *ut in c. modò allegat. & c. 3. x. d. t. Sanch. lib. 7. d. 93 n. 10.* Ita laudabiliter observari solet in praxi Venerabilis Consistorij Viennensis: ubi occurrente hujusmodi casu de impedimenti qualitate per Medicos, matronasque honestas inquisitio fit; vitio incurabili existente matrimonium declaratur nullum, parti potenti ad alia vota transeundi licentiâ concessâ; impotente verò in perpetuum à matrimonio repulsa. Prout hac in re sententia extat de dato 29. Maij 1656. cujus tenor decisivus hic est, *præmissis reliquis: Per hanc sententiam dicimus & pronunciamus, inter Actorem & Ream conventam propter impotentiam arctitudinis incurabilem ac perpetuam matrimonium ipso jure esse nullum & irritum, prout idipsum nullum ac irritum declaramus; dantes & concedentes Actori facultatem & licentiam ad alia vota matrimonialia in Domino convolandi; Reæverò conventæ ulteriora vota conjugalia perpetuò inhibentes. Idque in nomine D E I Patris &c.* Ex hac quæstione dependet illa.

Quæstio 56.

AN fœmina ejusmodi media humana, ut incisionem, admittere, & sustinere teneatur?

Hic denuò distinctionem adhibentes dicimus, si absque gravi morbi vel mortis, alteriusvè mali periculo fœmina sublevari possit, ad sustinendam modicam violentiam teneri. *gloss. in c. 3. & arg. c. fraternitatis. de frig. & malef.* Secus ubi sine gravi periculo id fieri nequeat; tunc enim non teneri affirmamus. *Ita Sanch. lib. 7. d. 93. n. 32. ubi de hoc latè.* Miranda subjicitur quæstio.

Quæstio 57.

AN si fœmina talis ob arctitudinem judicio Ecclesiæ separata, de facto cum alio matrimonium contraxerit, ab eodemq; cognita fuerit, firmum hoc censeatur matrimonium, aut rescисso eo prius redintegrandum sit?

Redin-

Redintegrandum esse prius matrimonium retracto & rescisso posteriori concludimus c. fraternitatis. x. de frig. & malef. Ratio redditur: cum enim appareat, impedimentum illud perpetuum non fuisse, quod per opus humanum tolli potuit, sententiaque divertij per errorem lata sit; matrimonium inter hanc foemina & primum maritum verum extitisse judicatur, hujusque intuitu redintegrari debet prius posteriore rescisso. *text. exp̄. in d. c. fraternitatis. Vall. d. t. n. 6. Sanch. lib. 7 d. 100. n. 1. Moz. de matrim. col. ult. n. 44. & 47. Brunell. concl. 28. n. 26.* Hæc de naturali impotentia: dein de accidental.

Quæstio 58.

VTrùm impotentia ex maleficio consurgens utriq; sexui communis, mox atq; appetet, matrimonium dirimat?

Negativa nobis arridet ob rationem, quia dignosci quām primū non potest, perpetuumne sit, an temporale impedimentum: Illo enim matrimonium annullari testatur *Sanch. lib. 7. d. 94. n. 8.* hoc non item, ut communem esse opinionem tenet *Host. in sum. de frig. & malef. n. 26. in fin.* Cūm igitur ad hoc tempus experientiæ requiratur, quæritur.

Quæstio 59.

AN de praxi & consuetudine Venerabilis Consistorij Viennensis triennium in jure præscriptum ad experientiam impedimenti requiratur?

Affirmativam ostendit frequens & receptus usus. Quemadmodum enim *in c. laudabilem. x. de frig. & malef.* cohabitatio triennalis observanda præscribitur, quod sequuntur *Brunell. concl. 28. n. 12. Host. in sum. de frig. & malef. §. qualiter Moz. de matr. col. fin. n. 44.* Sic quoq; praxis & stylus Consistorialis eandem experientiam triennalem requirit, hac formâ, ut conjuges primū de commissis agant pœnitentiam, Deoque reconcilientur: potest enim quandoque peccatum causa esse maleficij. *glos. in d. c. laudabilem. verb. commissis. Brunell. & Host. dict. loc. quo peracto triennalis eis injungitur coabitatio, ac interea studium & opera ad carnalem copulam bonâ fide.* Triennio lapsò, si conjuges reversi se omnem conatum adhibuisse, nec tamen unam carnem effici potuisse, unâ cum septima manu pro-

pinquor. vel vicinor. juratò deposuerint. Ecclesiè judicio separantur, idq; totum ex præscripto d. laudabil. & c. ult. x. de frig. & malef. Host. cit. §. qualiter. Hujus rei exemplum practicatum habemus de dato 21. Martij, Anno 1653. Hic divertio factò quæres.

Quæstio 60.

AN ob impotentiam ex maleficio consurgentem separatis ad alia vota conjugalia transeundi licentia tribuatur?

Ad quod affirmativè respond. cum Sanch. lib. 7. d. 99. n. 22. cuius rationem sumimus inde, quòd impedimentum ex maleficio proveniens censeatur plerumq; temporale & respectivum, non perpetuum absolum. gloss. in c. si per sortiarias. 33. q. 1. Sanch. cit. loc. & disp. 94. n. 4. Quod vel maximè etiam obtinet in praxi Consistoriali; ubi sententiæ tenor sonat: Dicimus & pronunciamus, inter Actricem & Reum conventum propter impotentiam respectivam ex maleficio causatam, matrimonium ipso jure esse nullum; prout idipsum nullum & irritum declaramus: dantes utrique parti facultatem ac licentiam ad alia vota matrimonialia in Domino convolandi. Idque in nomine Dei Patris &c.

Quæstio 61.

AN scienter cum impotente matrimonium contrahens ad separationem admittatur?

Negamus candidè. c. consultationi. 3. x. de frig. & malef. Brunell. concl. 28. n. 19. jura enim deceptis tantùm subveniunt: at sciens hoc in casu non decipitur c. scienti. de R. J. in 6. Hinc si se invicem non possunt habere ut conjuges, habeant se, ut fratres & sorores. d. c. consultation. Harp. §. 11. n. 142. inst. h. t. Moz. eod. col. ult. n. 46. Huc etiam referimus illam quæstionem.

Quæstio 62.

UXORINÈ, an marito credendum de consummatione, uxore impotentiam viri allegante, marito autem eam negante & consummationem prætendente?

Viro

Viro fidem tribuimus c. 6. de despōns. impub. c. si quis. 33. q. 1. c. 1.
X. de frig. & malef. Quod eo usq; procedit, donec uxor virginem,
se demonstret per aspectum corporis: Si enim talem se probaverit,
credi eidem oportet, marito non amplius. c. proposuisti. & c. causam.
X. de probat. gloss. in c. quod autem. 27. q. 2.

THESIS XI.

A Deo matrimonium honesta (*a*) est
conjunction, ut in hoc a consanguineis
(*b*) & affinibus (*c*) quibus annumeramus
eos, qui cognatione spirituali (*d*) vel legali
(*e*) nobis conjuncti sunt abstinentendum sit. (*f*)

(*a*) non belluina, qua animalia promiscue conjuguntur.
(*b*) inter ascendentēs & descendētes in infinitū; in collateralibus
verò ad quartum usq; gradum inclusivē. c. non debet. X. de con-
sang. & affin. §. 1. inst. de nupt. Vall. §. 1. n. 5. d. t. de consang. & af-
finit. Ratio prohibitionis est reverentia, quam consanguinei sibi
ipsi simet debent ob originem ab eodem stipite tractam, & sanguinis
communionem. Sanch. lib. 7. disp. 53. n. 3. Barthol. de spin. in
tract. de potest. Papæ super conjug. in gradib. prohibit. n. 36. (*c*)
§. 6. inst. de nupt. abstinentendum enim est a consanguineis uxoris, ut
a proprijs. c. ex literis. i. X. d. t. de consang. & affin. idq; procedit
bodie tantum in primo genere affinitatis, ceteris sublati. Jo. And.
in suo compendios. tract. de matr. n. 15. (*d*) velut ex Baptismo &
Confirmatione. c. 1. de cognat. spirit. in 6. c. veniens. X. eod. Sanch.
lib. 7. d. 54. n. 3. Idq; ob identitatem rationis: quemadmodum,
enim per carnalem generationem accipimus esse carnale; ita per hæc
Sacramenta esse spirituale induimus, per quod non minus, ac natu-
rale esse, contrabitur hæc cognitio. Sanch. d. d. 54. n. 2. (*e*) c. un. X.
de cognat. legal. Sanch. d. lib. 7. d. 63. n. 16. (*f*) ita, ut qui in-
tra hos gradus conjuguntur, non solum mox se jungantur d. c. non
debet: sed etiam soboles nulla legitima censeatur. c. cum in hibi-
tio. 4. §. si quis verò X. de cland. desp. Jo. Andr. cit. tract. n. 3. &

alijs quoq; pœnis subjiciantur, de quibus in §. si adversus. inst. b.
n. t. de nupt. Unde quæres.

Quæstio 63.

AN natus ex incestuosis & nefarijs nuptijs à parentibus ali debeat?

Negatur jure civili. auth. ex complexu. C. de incest. & inutil. nupt. novell. 74. c. ult. & novell. 89. c. ult. Æquitas tamen canonica eos ali præcipit. c. 5. X. de eo, qui dux. in matrim. quam poll. per adult. Harp. ad §. si adversus. n. 12. inst. h. t. Gail. 2. obs. 88. n. 4. Cui in hoc casu stamus adversus jus civile. c. pen. & ult. X. de secund. nupt. cùm præser-
tim juris naturalis sit, alere partum, & educare illum. text. in princ.
inst. de jur. nat. gent. & civ.

Quæstio 64.

AN ex illico congressu oriatur affinitas, quæ impe-
diat matrimonium?

Hic quoq; discrepantiam juris canonici & civilis præscinde-
re, & tollere volentes asserimus, non obstante, quod jure civili
non nisi ex legitimis nuptijs affinitas resiliat. l. 4. §. 3. ff. de gradib. &
affin. jure tamen nostro canonico ex quacunq; copula nefaria, in-
cestuosa, seu quomodolibet illicita generari affinitatem. c. discretio-
nem. &c. tue fraternit. X. de eo, qui cogn. cons. ux. su.

Quæstio 65.

VTrum affinitas illegitima æq; ac legitima matrimo-
nium usq; ad quartum gradum inclusivè impediad?

Negativam foveamus jure novissimo. Tametsi quidem om-
nis affinitas, licita vel illicita indifferenter impedimentum usq; ad
quartum gradum inclusivè olim præstiterit. c. non debet. X. de consang.
& aff. hodiè tamen differentiam inter legitimam constituimus affi-
nitatem, ut illa quidem sub dispositione juris remaneat. d. c. non de-
bet. hæc verò, illegitima scil. in primo & secundo gradu tantum im-
pediat, ut patet. ex Trident. sess. 24. c. 4. Sanch. lib. 7. d. 67. n. 4. Huic vicina
est illa.

Quæst.

Quæstio 66.

Utrum affinitas contrahatur cum invita, ignorante, dormiente, ebria, insana?

Ab affirmantibus stamus *cum Sanch. lib. 7. d. 64. n. 17. per c. discriptionem. X. de eo, qui cogn. consang. ux. su. Prosdocim. de Comitib. in sua arbor. consang. & affin. col. 2. n. 17.* Affinitas enim oritur ex cōsanguinitate. *Steph. Cost. de affinit. n. 19. & carnis unitate. tex. & gloss. in c. nullum. & gl. in c. extraordinaria. 35. q. 2.* quam cum invita, dormiente &c. fieri posse constat.

Quæstio 67.

An Catechismus inducat cognitionem, cuius intuitu matrimonium impediatur?

Ad affirmandum inducimur. *c. 2. de cognat. spirit. in 6. c. contracto x. eod.* Rationem hujus dicimus, quia Catechismus est quædam futuri Baptismi professio, ejusque initium, & quasi regeneratio, imperfecta scil. per fidem, quam protestatur patrinus pro parvulo: ex quo oritur cognatio quædam spiritualis imperfecta. *Sanch. lib. 7. d. 10. n. 2.*

Quæstio 68.

An in gradibus prohibitis Summus Pontifex indiferenter dispensare possit?

Negativam amplectentes in gradibus jure positivo prohibitis dispensationem concedimus, non item prohibitis jure divino. *c. litteras. §. opinioni. x. de rest. spol.* Potest enim Pontifex in omnibus præceptis dispensare, præterquam in primis principiis juris naturalis, & Decalogo, & his, quæ ad Decalogum referuntur, ut communem Theologorum sententiam esse testatur Barthol. de spin. de potest. Pape sub conjug. in grad. prohib. n. 2.

THESIS XII.

Constante matrimonio conjuges (*a*) sibi invicem ad mutua (*b*) obsequia (*c*) præstanda tenentur.

(a) ambo tām vir, quām fēmina, qui sub nomine hoc continentur (b) ita, ut si alter non p̄aſtet, alter quoq; ab obligatione liber sit: qui enim non facit, quod debet, non recipit, quod oportet. l. ſea. C. de cond. insert. Sanch. lib. 9. d. 4. n. 20. (c.) hinc maritus uxorem alere. l. pen. ff. ut in poss. legat. l. ſi. filia. §. 1. ff. fam. hercifc. Sanch. d. disp. 4. n. 19. Uxor ex adverſo deſervire conjuſaliter marito, eiq; operas quascunq; p̄aſtare tenetur. Bonus de Curtiſ. in tract. de nobilit. part. 5. n. 69. Pinell. de bon. matern. l. 1. p. 3. n. 91. quem refert & ſequitur Sanch. lib. 6. disp. 6. n. 13. quia mulier viro ſubjecta eſt, & vir caput ejus perhibetur. c. manifestum. 11. c. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. & 19. caus. 33. q. 5. Ultrumq; autem conjuget ad debitum reddendum obligatio ſtrin- git ſecundūm Aſt. 1. Corinth. c. 7. c. ſi dicat. 33. q. 5. Moz. col. de natural. matrim. n. 14.

Quæſtio 69.

AN uxor maritum extra provinciam, vel de loco in Alocum migrantem ſequi teneatur?

Teneri p̄aſcipit D. Auguſt. in c. unaquaq;. 13. q. 2. Ratio hujus eſt, quia conjuget ſibi invicem ad obſequia mutua, ut in theſi p̄amis- mus, obligati ſunt, quæ p̄aſtare non poſſunt, niſi ſimul habitent. Sanch. l. 1. disp. 41. n. 2. Sic, ut ſacra pagina refert, Sara virum ſuum, quō tetendit, ſemper inſecuta fideliter fuſt. Gen. 12. v. 1. & 2. Rebec- ca ex Moſopotamia venit ad Iſaacum virum in Chanaan. Gen. 24. v. 61. Quod procedit in viro cum cauſa migrantे, ut in alleg. c. una- quaq;. ſecus in vagabundo, quem uxor ſequi non tenetur. gloss. in c. ſiquis. 34. q. 1. & cut. can. unaquaq;. Sanch. diſt. loc. Schneidw. part. 4. de nupt. n. 47. Roland. in flor. teſtament. rubr. 13. n. 5. Sed gravior eſt quæſtio.

Quæſtio 70.

VTrūm uxor maritum ex delicto exulem ſequi & comitari conſtringatur?

Affirmantium adh̄eremus opinioni. c. 2. x. de divort. uxor enim ſequi debet mariti infortunium. arg. l. ſi cū dotem. §. ſin autem. ff. ſol. matr. Sanch. lib. 1. d. 41. n. 13. nam quid tām humanum eſt, quām for- tuitis caſibus mulieris maritum, vel uxorem viri participem eſſe? d. l. ſi

d.l. si cùm dotem. §. si maritus. Sic mariti miseras patientiâ & cōsolatione sublevavit Saphora. Exod. 4. v. 25. Et confirmatur conclusio: quia uxor etiam excommunicato viro cohabitare & debitum reddere tenetur. c. inter alia. de sent. excom. c. quoniam i. q. 3. Ideoque sententiam nostram probat gloss. in c. 1. qui matrim. accus. poss. Sanch. cit. loc. Pariter gravis & controversa est quæstio.

Quæstio 71.

AN dote promissâ non solutâ maritus uxori alimenta præstare teneatur?

Negantium se etiam vota. Dos enim quasi in pretium datur, ut ex ejus fructibus maritus matrimonij onera sustineat, uxoremq; alat. l. pro oneribus. C. de jur. dot. l. dotis fructus. ff. eod. ergò si ex pacto convento dos non solvit, vir ab alimentis præstandis liber erit. sic sanch. lib. 9. d. 5. n. 2. Gail. 2. obs. 87. n. 2.

Quæstio 72.

AN maritus ad mulierem divitijs affluentem sine do-
tis promissione ductam alendam obligatus sit?

Obligatum asserimus. Sibi enim imputare debet, quod do-
tem in pactum non deduxerit: videturque ipsam uxoris personam
pro dote accepisse. Sanch. lib. 9. d. 5. n. 8. adeoque alere ipsam tenetur
Gail. lib. 2. obs. 87. n. 1. & obs. 95. n. 7. Sanch. dict. loc. cùm dos acciden-
tale quid sit, & adesse vel abesse matrimonio possit. c. de prudentia. x.
de donat. int. vir. & ux.

Quæstio 73.

AN uxorem à se divertentem maritus alere tenea-
tur?

Distinctione hoc expedientes dicimus, si ob causam, ut ob sa-
vitem & nimiam castigationem (modicè enim castigare viro licet.
l. rei judicata. ff. sol. matr.) divertat, alendam esse: secus si absq; cau-
sa, propriomotu, divertat, ubi alere eam maritus non tenetur Sanch.
lib. 9. d. 4. n. 19. & seqq. in illo enim casu culpa marito: in hoc uxori
imputatur. Idem cit. loc. Hic sat luctuosam subjungimus quæ-
stionem.

Quæstio 74.

UTTRUM quandoq; maritus ab uxore ali debeat?

Id quod affirmamus de viro egente, & uxore locuplete. *l. matus. ff. de jur. dot. Gregor. Tholos. in syntagm. jur. univers. lib. 9. c. 19. n. 5. sanch. lib. 9. d. 4. n. 27.* qui hoc ex l. s̄ cum dotem. §. si maritus. ff. sol. matr. probat. Ratio conclusionis est: cùm enim vir succedat uxori mortuæ in quartam vel virilem portionem pro numero liberorum. *auth. præterea. C. und. vir. & ux. fortius debet ab ea in vita juvari. Specul. in tit. qui fil. sint. legit. §. un. n. 40.*

THESIS XIII.

EVENIT autem nonnunquam ut matrimonium (a) divortio (b) facto distra-
hatur (c) cuius causam plerumq; (d) adulte-
rio (e) & fævitie (f) adscribimus.

(a) ratum & consummatum. *gloss. in c. 2. X. de divort.*
(b) quod perhibetur separatio conjugum judicio magistratus Ec-
clesiastici ex causa facta. c. porro. de divort. quæ delicto fit. *gl. in*
c. omne. 27. q. 2. & dicitur à diversitate mentis, vel quia in di-
versas partes abeunt, qui matrimonium distrahunt. *l. 2. ff. de re-*
pud. gl. in c. licite. 32. q. 7. (c) ita, ut, conjuges corporaliter
quidem, quoad thorum & mensam separentur, & à mutuis sibi in-
vicem obsequijs solvantur, vinculo tamen conjugij firmo manente
(quia hoc non nisi morte soluitur) & utroq; ad alia vota matrimo-
nalia transire prohibito. *text. & gloss. in d. c. 2. de divort. c.*
quem admodum. *c. 2. & 3. cit. caus. 32. q. 2.* (e) quod de jure
divino, canonico, & civili causam præbet. *Matth. c. 5. & 19. c.*
præcepit Dominus. 32. q. 5. c. significasti. c. gaudemus. & c. ex li-
teris. X. de divort. l. consensu. 8. §. 2. C. de repud. Sanch. lib. 10.
d. 3. n. 2. Harp. §. 11. n. 32. inst. de nupt. (d) quia etiam ob alias
rationes, quamvis non tam frequenter, divortium fieri solet, ut
ob malitiosam desertionem, lenocinium & c. de quibus in d. l. con-
sensu. §. 2. C. de repud. & Sanch. lib. 10. d. 17. per tot. (f) c. li-
teras

teras in fin. X. de rest. spol. d. l. consensu. §. 2. Harp. d. §. 11. n. 197. & hanc conclusionem ab omnibus admitti testatur Sanch. d. lib. 10. d. 18. n. 2. Ex hac thesi subtristi oritur quæstio.

Quæstio 75.

UTrum justa & legitima causa divertendi sit, si quis oppressam, vitiatam, & defloratam, pro virgine ignoranter duxerit?

Negativam sumimus ex c. quemadmodum de jurejur. Ratio hujus est: quia error qualitatis matrimonium non vitiat. c. un. §. fi. 29. q. 1. Sanch. lib. 7. d. 18. n. 8. & 18. Schneidw. part. 4. n. 59. de nupt. Harp. ad rubr. eod. n. 94. & quia post nuptias consummatas integra res amplius non est, ac nec pater, ne dūm aliis, de virginitate vadem se præstare potest (cūm periculosa sit merx virgo nubilis maturaq; viro. Levin. lib. 4. c. 24. de occult. natur. mirac.) ob penuriam probationum pericolo ipsius mariti non Virgo fingitur Virgo: ideoq; cavendum est in his mercibus, quarum vitia non cognoscuntur, nisi postquam comparatae sunt, cautiū mercari. Gregor. Tholos. lib. 9. c. 12. n. 4. Atque hoc de fornicatione præcedente. Sequitur jam de subsecuta.

Quæstio 76.

An adulterium cum invita perpetratum divortij causam præbeat?

Negantem nos opinionem probamus cum Sanch. lib. 10. d. 5. n. 13. Harp. §. 11. n. 59. h. n. t. de nupt. Damhaud. in prax. crimin. c. 89. n. 35. Ubi enim deest assensus, ibi quoque reatus abest: & coacta voluntas non est voluntas, ideoq; vitiata per vim non censetur vitiata, eo quod caro reverā corrupti non possit, ubi mens priūs corrupta non fuerit. text. & gloss. in c. revera. & c. de pudicitia. 27. q. 5. Thom. de Thomas. in suo flor. leg. reg. 78. Controversa quoq; sequens est quæstio.

Quæstio 77.

UTrum ob adulterium in uxore cum voluntate vi- ri admissum vir divortium celebrare possit?

Quod pariter negamus: adulterium enim ab eo non potest ob- jici, qui causa est adulterij. c. discretionem. x. de eo, qui cogn. consang. ux. su. Ideoq; sententiam nostram amplectuntur Harp. §. 11. n. 56. inst. h.

n. t. Barthol. Brixiens. quæstion. Dominical. 37. in fin. Sanch. lib. 10. d. 5.
n. 3. Huic adjicimus illam.

Quæstio 78.

AN conjunx innocens ab adulterante propriâ authoritate divertere possit?

Affirmativa placet, & probatur ex c. significasti. x. de divort. ubi conjugi ob adulterium dimisso denegatur restitutio: ergo licetè potuit dimitti; alias ad pristinam matrimonij possessionem restituendus esset. Sanch. lib. 10. d. 12. n. 12. Et confirmatur conclusio: Si enim conjux adulter propriâ authoritate expelli domo potest. Sanch. cit. d. n. 25. quidni & ab ipso divertere quoque liceret; cum præsertim hoc indulatum sit, ut ob fornicationem conjunx innocens nocentem liberè dimittere possit? c. dixit Dominus 32. q. 1. Subjungitur quæstio de altera causa divortij in thesi proposita.

Quæstio 79.

VTrum conjunx dans causam sævitie ob sævitiem divertere possit?

Ad affirmativam inclinamus. c. de Benedicto. 32. q. 1. Schneidw. part. 4. n. 27. de nupt. Sanch. lib. 10. d. 18. n. 5. Ratio est periculum, quod inter conjuges dissentientes versatur. Sanch. cit. d. n. 19. Nec restitutio fieri debet, donec cautio idonea præstita fuerit. c. ex transmissa. & c. litteras. x. de rest. spol. Schneidw. cit. loc. Moz. col. ult. n. 65. de matrim. Sanch. dict. disp. n. 2.

Quæstio 80.

VTrum pendente divortij controversiâ maritus uxori alimēta & litis expēsas subministrare teneatur?

In affirmativam quoque concedimus, quamvis ipsa uxor litem intentaverit. Ita Sanch. lib. 10. d. 8. n. 28. Joan. Lup. de donat. int. vir. & ux. in c. per nostras in princ. §. 39. n. 5. Cui favet, quod lite pendente nihil inovandum sit. t. t. ut lit. pend. &c. & ne uxor expensis destituta à causa cadat. Ita cum multis docet Barbos. rubr. ff. sol. matr. testante. Sanch. cit. n. 28.

Quæst.

Quæstio 81.

AN divortio per sententiam facto matrimonium reintegrari quandoq; possit aut debeat?

Et posse, & deberi dicimus. Nam reconciliatione mutuâ reintegrari posse statuitur *in c. placuit. 32. q. 7.* Deberi quandoque id fieri constat *ex c. 5. x. de divort.* Ratio hujus assignatur, quia contra matrimonium nulla sententia in rem judicatam transit, quin retrahari possit. *c. lator. 7. x. de sent. & re jud. Vall. n. 6. de frig. & malef.*

Subjiciuntur aliquot quæstiones ad totam rem facientes.

Quæstio 82.

VTrum corrupta, pro virgine tamen habita, nuptura Sponso suo virginitatis defectum detegere tenetur?

Teneri dicimus cum limitatione, si vir comperto hoc vitio ægrè latus, ac propterea vitam discordijs plenam acturus esset. *Sanch. lib. 7. d. 27. n. 10.* Matrimonium enim est quædam venditionis species, ubi vir est quasi emptor, mulier venditrix. *teste Tiraquell. de retract. convent. ad fin. tit. n. 70. & l. 4. connubiorum. n. 5.* at vendor lege justitiæ tenetur vitia rei venditæ saltem latentia indicare, *ut tenet Sanch. cum D. Thom. lib. 6. d. 27. n. 7.* Deinde cum corrupta contrahens magnum incurrit detrimentum per bigamiam, quâ nolens volens implicatus non potest ad Ordines promoveri, *ut diximus supra quest. 48.* Ideoq; sententiæ nostræ adstipulatur *Sanch. cum plurib. loc. cit.* Secus, si vir explorato ejusmodi defectu ægrè laturus non foret; quia viro nullum damnum hic immineret, *Ita Sanch. distinctionem hanc admittit. d. d. 27. n. 8. q. & 10.*

Quæstio 83.

VTrum in matrimonialibus Judex debeat esse Ecclesiasticus vel Sæcularis?

Ecclesiasticum solum hac in causa Judicem esse dicimus *c. mulitorum. 35. q. 6. c. accedentibus. de excess. prælat. Tholos. in syntagm. jur. univers. c. 21. n. 6. Moz. col. 4. de matrim. n. 18. Sanch. lib. 10. d. 8. n. 10.* Cùm enim matrimonium res spiritualis ac sacramentum sit, ejus cognitio ad Ecclesiasticum Judicem omnino pertinet. *Authores supr. cit. loc. allegat.*

allegat. Nisi in adulterio ad pœnam corporis infligendam ageretur : quo casu cognitionem relinquimus sacerdotali Judici. *Sanch. cit. d. 8. n. 16.* Ex hac quæstione patet resolutio illius.

Quæstio 84.

UTrum facto divortio Judex Ecclesiasticus de restituenda dote cognoscere possit ?

Affirmare non erubescimus cum Nicol. Moz. col. 4. n. 1. de matr. ex c. 1. 2. & 3. x. de donat. int. vir. & ux. c. proposuisti. de conjug. servor. Cum enim cognitione matrimonij, tanquam principale, Judicis Ecclesiastici sit, ut priori quæstione diximus, non potest discussio dotis tanquam accessorum cit. c. 3. de donat. int. vir. & ux. ad alium pertinere Judicem. c. accessorum. de R. J. in 6. Ideoque sententiam hanc mordicūs arripit Moz. d. loc.

Coronidis loco subjungimus tres quæstiones meri exercitij gratiâ ad utrumq; statum conferentes.

Quæstio 85.

AN homini voto castitatis, religionis, vel clericatus non adstricto præstet uxorem ducere, nec ne?

Sed consultius esse matrimonium inire sequentes suadent rationes. Nam universum genus humanum ad societatem natum: primam autem societatem, eamq; præcipuam nuptias esse testatur. *Heracles apud Stob. serm. 65.* Civitates enim sine familijs esse non possunt, & familia innupti manica est; integra autem, & perfecta illius, qui conjugatus fuerit. *Stob. cit. serm.* Deinde consideratâ naturâ humanæ imbecillitate & periculo exinde emanante propter fornicationem unusquisq; uxorem, & unaquæq; virum suum habeat. *Apostol. 1. Corinth. 7.* Quod si autem nec infirmitatis hujus periculum foret, est tamen matrimonium jucunda societas in auxilium mutuum mariti & uxoris, ut sibi invicem deserviant, maximè senibus. *gl. inc. nuppiarum. 27. q. 1.* & ideo *Gen. 2.* scriptum est: Faciamus ei adjutorium simile. siquidem in hac societate conjugali partito onere sollicitudines & curæ, molestiaeq; levius feruntur. *Greg. Tholos. lib. 9. c. 6. n. 14.* Ad hanc sententiam nostram aptè collimat. *Aristot. lib. 8. Ethnic. c. 12. his verbis:* homo naturâ magis conjugale

gale animal est, quām civile &c. & paulò post: homines autem conjugium subeunt nō solum procreationis, sed eorum etiam gratiā, quæ ad ipsam conferunt vitam. Officia namq; cōtinuò sunt divisa, atq; alia viri, alia sunt uxoris. Opem itaq; mutuam ferunt, res proprias in commune ponentes &c. Hucq; facit illud Euripidis, quod uxor marito in malis & morbis suavissima sit. Domum si rectè inhabitet, iram mitigat, & à tristitia animum avertit. Quibus sic deductis conclusio nostra firma manet præstare in conjugio vivere, quām extra, quemcunq; sine voto viventem Sed ad hanc quæstionem illa adaptatur.

Quæstio 86.

AN juvenem, vel senem ducere uxorem expediat?

Parem ætate ducendam convenientissimum censemus; tūm ob bonum prolis, utpote principale matrimonij: quia ex discrepantiū ætatum conjunctione nimium imbecilles edūtur partus; siquidē parentum provecta jam ætas adolescentulorum matrimonij haud bene convenit, ut ait. *Plat. l. 4. de leg.* Tūm etiam ipsorum conjugiū: in cōjugio enim requirimus amorē mutuum & concordiā conjugalem, quæ omni lucro præferenda est: quām rara sint autem hæc insene & juvēne, testatur Arithmæus *dīsp. 2. pag. 39.* his versiculis:

Non cadit in quodvis corium, senem amare puellam:
In simili similem, est optimum, habere thoro.

Idemq; docent vulgares rhytmi, quos refert Kizel. *synops. matrim. c. 3. theorem. 2. lit. I.*

Ein harte Nuß / ein stumpfer Jan /
Ein junges Weib / ein alter Man /
Zu sammen sich nicht reimen wohl:
Ein jeder seyns gleich nehmen soll.

Hanc etiam inconvenientiam docet Ovid. lib. *Epist. 9. Heroid.* dūm canit.

Quām male inæquales veniunt ad aratra juvenci,
Tām premitur magno conjuge nupta minor.
Non honor est, sed onus species læsura ferentes
Siqua voles aptè nubere, nube pari.

Quod quidem inconveniens vel absurdum potius admittitur à nostris sacerdulis minùs providis, & vix non stolidis conjugibus, qui juvenes immemores fidei cōjugalis, de lucro tantum laborātes, dumodò potiātur opib⁹ senio confectis, imò decrepitis benē habentib⁹ se jūgere viris vel mulierib⁹ non verecundātur. Ubi mutua dilectio, ubi fides? certè plerumq; longè à finib⁹ conjugij, quod (ô tēpora, ô mores! lex Julia dormis?) alieni & adulterini thalami pignora testatum faciunt. Rara fides, dilectio rara. Ex quo plura tam temporalia, quām æterna incommoda & exitia abunde commemorat. *Schneidw. par. 2. n. 17. inst. de nupt.* Idq; dissiteri non possunt, qui in infastorum ejusmodi connubiorum laqueos inconsulto animo sese coniiciunt & præcipitant, posteaq; si calceus stringit, cum acerbissimo cordis gemitu Venerabile Consistorium involant, Judicem interturbant, medelam petentes, separationem flagitantes: sed serò sapiunt Phryges: Aesculapio nulla hīc medendi facultas: nulla est Jūdici remedendi potestas. Disce cautiū mercari, &

Nubere si qua voles, quamvis properabitis ambo,
Differ, habent parvæ commoda magna moræ.

Quæstio 87. & ultima.

AN Virginitas Conjugio, vel hoc illi præferendum, & præstantius sit?

Virginitatem nos conjugio anteponimus. *can. 10. in Trident. sess. 24. Joan. Azor. part. 2. inst. moral. lib. 3. c. 2.* Ad quod movemur hisce rationibus: Virginitas enim summa est gratia, quæ à Christo meruit eligi, ut esset corporale DEI templum, in quo corporaliter habitavit plenitudo divinitatis. Virgo genuit mundi salutem: Virgo peperit vitam universorum. *Ambros. lib. de off.* Hinc superreditur virginitas conditionem humanæ naturæ, per quam homines Angelis assimilantur: major tamen est victoria virginum, quām Angelorum; Angeli enim sine carne vivunt, Virgines verò in carne triumphant. *Idem lib. de Viduis.* Idq; ob excellentiam & præstantiam virtutis hujus, quām quis refrenando & propulsando libidinis impetus lubens defert, cùm suaderi possit, imperari non item; eò quòd res magis voti, quām præcepti sit. *c. integratas. 32. q. 1.* Unde per pulchrè Gregorius Virginitatem altum montem dixit, ad quem Angelus hortatur: Sed qui se ascendere non posse videt, maneat in Segor, idest legitimo matrimonio: quia melius est, mediocri bono uti, quām per abrupta libidinum præcipitari. Quisquis autem

autem sublatâ omni difficultate montem hunc concendere nititur,
cœlum conscendit, paradysum implet. c. nuptia. 32. q. 1. singulari
coronatus laureâ. c. si Paulus. cit. caus. q. 5. de quo Ambros.

Aureolam Virgo, Martyr, fideiq; Magister.
Præter communem dicuntur habere coronam.

Beatus terq; quaterq;, cuius mens spiritu illustrata divino
veritatem agnoscerre potest, ut hac potiatur aureolâ. Si quem au-
tem ad conjugium vera traxerit inclinatio, ne jugo se perpetuo sub-
jiciat, illam sibi sociam assumat conjugalem, quæ nescit se pul-
chram esse; quæ negligit formæ bonum, & procedens ad publi-
cum non pectus & colla denudat, nec pallio denudato cervices a-
perit (ut perversus hoc sæculo jam invaluit mos & consuetudo.) sed
quæ celat faciem, & vix uno oculo, qui viæ nuntius est, patente in-
greditur. *Consilium salubre D. Hieronym. in Epist.*

TanDeM erIt bIC flnIs, resonent TlBI gratIa In aLtIs.

In
Nobilis & Doctissimi Domini harum
thesum Defendantis nomen

THOMAS SWIF/

Anagramma.

Kom hast Swiz.

TU, quicunq; voles animum recreare labantem,
Huc ades: ingenium provocat ille tuum.
Fœder a connubij tractat, sponsalia præter,
Certe non facili dissolvenda modo.

M 2

Dixi,

Dixi, non facili, quia mors ea sola resolvit;
Hoc verum thesibus comprobat ille suis.

Ergò viam ingressus stricti certaminis ultrò
NIL MetV as SanChez en tIBI sert a DabIt.

Ita ex sincero affectu posuit

JOANNES C E O R G I U S Bahr/
Auth. Apost. & Imp. Not. Publ. Rever.
& Excell. Princip. Episc. Vienens. à
Libellis.

Ad eundem.

M A cte, tuis Hymen Sponsalia jura tuenda
Imponit docil's viribus ingenij.
Aggrediare hostes: inimicis certa subactis
Prœmia, Victoris digna tropheæ feres.
Hoc Gentilitium præfigit stemmatis omen:
Hoc Vates Proteus Nominis ipse canit.
Non trepides, juris cum personat Echo Palæstram:
Bosphorus Agnatus, ausibus alter eris.
Sic tibi Zvwickiadum decus immortale perennet.
Te videat Sidus Patria chara novum.

Conterraneo suo & amico singulari
gratulabundus accinuit

F R A N C I S C U S W e y d e n k e l l e r /
Suevus Möskirchensis Th. Moral.
Studioſus.

F I N I S.

Univ. Bibl.
Nürnberg